

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Dives Immisericors.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

## SENTENTIA.

*Divitiae magno sunt ad salutem impedimento.  
Dives divitiis, denique homines iis, quæ habent  
charissima, renunciare, humanis viribus nequeunt:  
divinis queunt.*

## D I V E S I M M I S E R I C O R S.

Luc. 16.

## ARGUMENTVM.

Dives immisericors apud inferos cruciatus, ne tantulam quidem misericordiam ab Abrahamo impetrare potest.

*Dives, Abrahamus.*

Pater Abrahame, miserere mei: & mitte Lazarum, qui sumino digito in aqua intincto, linguam mihi refrigeret: discrucior enim in hac flammâ. A. Fili! memineris, te bonis in vita: Lazarum malis esse defunctum. Nunc vicissim hic in voluptate, tu in dolore es. Præterea constat omnino inter nos & vos vasta vorago, ut hinc ad vos, aut istinc ad nos aditus transire volentibus non pateat. D. Saltem illud ore te, pater, ut eum mittas in domum mei patris, ut meos fratres (habeo enim quinque) commonefaciat, ne ipsi quoque committant, ut iis in hunc tam tetri cruciatus locum veniendum sit. A. Habent <sup>a)</sup> Mosem, & cæteros Vates, eos audiunto. D. Est istud quidem aliquid, pater Abrahame, sed si quis

R 3

a mor-

<sup>a)</sup> Scripta Mosis.

**a** mortuis ad eos fuerit profectus, facilius vitam corrigent. *A.* Si Mosem & Vates non audiunt, ne ei quidem, qui revixerit, obtemperaturi sunt.

### SENTENTIA.

*Inclementes inclementer punientur. Qualem si quisque alteri præbuerit, talem in se experietur Deum. Impiorum sera penitentia. Beati qui plorant, nam consolatione affidentur. Vœ gaudensibus, dalebunt enim: nam rerum vicissitudo est. Qui sancta doctrina ad sanitatem non revocatur, desperandus est.*

### FILII ZEBEDEI. Matth. 20. Marc. 10.

#### ARGUMENTVM.

Jesus Jacobo & Joanni regnum petentibus, crucem proponit.

*Mater Iacobi & Ioannis, Jesus, Iacobus & Ioannes.*

**M**agister, volebant quiddam a te petere h̄i mei duo filii. *Ie.* Quidnam id est? *Ia.* Ut tibi, cum splendorem & imperium fueris adeptus, alter dexter, alter sinister assideamus. *Ie.* Nescitis quid petatis. Potestis ne idem mecum poculum ebibere, eademque lotione ablui? *Ia.* Possumus. *Ie.* Meum quidem poculum bibetis, meaque lotione lavabimini: sed ut mihi dextra lœvabitini: sed ut mihi dextra lœvaque assideatur, non est meum dare, nisi eis, quibus id paratum est a patre meo.

SEN-